



9





an 44

fs.

SACRA TRAUMATOTHERAPIA,  
in Solatium

Viri Clarissimi & Experientissimi,

**DN. JOHANNIS GEORGI MAGNI,**

Medicinæ Doctoris celeberrimi, obitum  
filix suæ unicæ longè charissimæ  
impensius dolentis,

*συμπυθείας ένεκα scripta, ac ex Prussia Decimo  
Novembris transmissa.*

à

SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI,  
Ducis Prusix &c.

Medicis Excellentissimis,

ac

*BERLINI, Typis Rungianis descripta,*

ANNO:

CIO IOC XXVIII.

S \*



**N**IL nisi turbatum, nil purum hic turbidus Orbis :  
 Alternans vicibus cuncta creata suis.  
 Instabiles Cœli, referunt momenta dierum :  
 Et vitam et Mortem jure datura pari.  
 Exortoq; orimur, morimur quoq;, Sole cadente,  
 Mortis securos Hora nec ulla facit.  
 Participes lucis nos ingens excipit æquor :  
 Incertæ sorti subdita præda sumus.  
 Mergimur inviti nullo discrimine vitæ :  
 Fœdere junguntur, Vitaq; Morsq; pari.  
 Ordine servato nullo; miscentur in urnâ :  
 Robore fulta suo Corpora; casâ suo.  
 Justius haud quicquam; Nihil est injustius Ipsâ  
 Morte, seni juvenem præripiente virum.  
 Naturæ ordine turbato; cadit aucta juvenus :  
 Terra hominum nihili pondere pressa dolet.  
 Vir sene stante cadit, Vetulâ quoq; stante; mariti  
 Concidit in gremiis URSULA virago sui.  
 Digna viro tanto; sed dignior URSULA Cœlis:  
 Mutato hospitio, quos tenera hospes adit.  
 Non sine Conjugis, & patriæ; luctuq; parentum :  
 URSULA lætitiæ queis fuit una, eadit.  
 Dotibus ingenii, nulli formæq; secunda :  
 Sincerâq; fide, nec pietate minor.  
 Nil hominem Imperio mortis, non forma, nec aurum,  
 Solvet, nec pietas, docta Minerva neque.  
 Alituum genus ut Natura volatile fecit :  
 Sic nos mortales, cunctaq; fluxa dedit.  
 Incertâ nati, certâ denascimur horâ :  
 Hoc certi, nostrum Nobile stemma gerit.

Fati

Fati exercentis nos indubitata potestas  
Hæc: fatui intrepidè Fata sequemur Ea.  
Fatorum vires non vota precesq; supinant:  
Adversæ sorti vota futura moræ.  
Pondere curarum exhaustis; spes unica Mortis:  
Dulce fatigatis est Libitina viris.  
Hæc animo reputans tecum, Clarissime MAGNE;  
Gaudendo doleas, atque dolendo simul  
Gaudebis: Variis Fortunæ erepta procellis;  
URSULA Cœlicolis annumerata sedet.  
TE, sobolemque, gravis mutatio visa, videnti;  
Nullaque, sed Christum, gratior hora fuit.  
Non præsens vitæ, vita æquiparanda futuræ:  
Tantò ea splendidior; siderè Luna velut.  
Ureret hoc solum; si vos mœrore sepultos  
Tanto, defunctæ noscere fata darent.  
Viva quibus nutu fuerat, nec voce modesta!  
Afficeret curis, orbe furente, novis?  
Tollite communis commercia mutua luctûs:  
Municipes cernet vos prior illa poli.  
Ejus sensa animi ad pectus revocate parentes:  
Exigit hoc pietas; mutuus illud Amor.  
Ritè suâ Manes sic pace, quiete fruentur;  
Ossa velut tumulo clausa, quieta cubant.  
Ac Christum reddente polo, sibi credita, reddet  
Ossa Solum; vivis vivificata fibris.  
Sic Mors hæc vitæ est morituris pascha futuræ:  
Corpore destructo, vita adeunda, rudi.  
Pascha ubi perpetuum, populus redivivus edemus,  
Præsente Angelico, TE DUCE CHRISTE, choro.  
Hæc mo-

Hæc monumenta mei, Clarissime MAGNE, doloris  
Accipe, quæ vitæ sunt documenta brevis.  
Mors quibus hæc cordi est intempeſtiva, levamen  
Solamenque recens porrige ſumme DEUS.

*Deproperabam animo & Calamo  
condolenti Morunga 28. O-  
ctob. 628. anni*

Otto Bötticher / D. Sereniſſimi  
Electoris Brandenburgici  
Medicus.

**H**eu fuit! ex multis non una, ſed unica, MAGNE,  
Filia, protubium peſtoris illa tui.

Heu fuit! heu ferale malum, non amplius eſſe!  
Heu fuit! & luctum liquit adempta tibi.

O duras Fati leges, quia dulcibus, eheu,  
Mors annis unguis inferit atra ſuos!

Vernantem violam dum falce recidit acutâ,  
Et te tam ſvani privat odore patrem.

Morta quid inceptas? cur ſic furis improba Morta?  
Confectas potiùs tempore tolle nurus.

Hæc potuit ſeros patri ſuperſeſſe per annos,  
Debuit hæc Pylus vivere ſecula ſenis;

Sic meruit probitas, pudor intemeratus, & illa  
Virtutum vitæ magna corona pie.

Sed jacet, & corpus tumulavit triſte feretrum,  
Et teritur ſpiſſâ, quam modò trivit, humo.

O miſeram ſortem! fugit hinc miſerabilis ætas,  
Et celeri curſu præterit, imò perit!

*Sed*

Sed quid opus lesis? quid naeni proderit omnis?  
Quid poterunt aliud, quam refricare malum?  
Sapè tamen medicâ dilatant arte periti  
Vulnera, quando minus sepè recusat opem.  
Vulnus alis, sed alis tectam sub vulnere labem,  
Quæ, nisi sit majus vulnus, abire nequit.  
Hâc non extersâ, nova MAGNE repullulat, omnes  
Eludens medicos, temporis aucta morâ,  
Unde recrudescit, viresq; acquirit eundo,  
Vulnus, & interitum deproperare solet.  
Sed melius spero; facilem si MAGNE medenti  
Te præbes, certè pbarmaca certa paro.  
Ecce prius sordes (sordes sunt falsa doloris  
Argumenta) juvat tollere, tolle prius.  
Ecquid enim tua damna foves, fletumq; lacesis,  
Mœroris fautor sedulus ipse tui?  
Hunc quando poteris patienter ferre dolorem,  
Magnus es, at major, quum superabis, eris.  
Et superare potes, quum te communibus armas  
Præsidis, magnum talia robur habent.  
Omnibus, an nescis? stat inevitabile fatum,  
Incertum quando, certum aliquando mori.  
Nascimur hac omnes immotâ lege, quod omnis  
Hæres peccati nascitur omnis homo.  
Nempe pavimentum vitæ quum mater in alvo  
Nostra locat, labis nil nisi massa sumus.  
Tanta fuit clades à pomi morsibus, inde  
Filia succubuit morsibus iccâ suis.  
Hinc quotquot sumus ad mortem deducimur unam,  
Hæc omnes pariter mattya cruda necat.

Pullu-

Pullulat hinc etiam tantorum fata malorum,  
 Fias, & multis nos premit usq; malis.  
 Et tamen hos casus, communes omnibus, unus  
 Si doleat nimium, quàm dolet ille male!  
 Pejùs at ille dolet, qui justì funera luget,  
 Cujus res longè sunt meliore loco.  
 Hic patrias, exul quondam, sic fertur ad oras,  
 Ut mors interitus non sit, at introitus,  
 Hùc, ubi peccatum nullum, mala nulla, nec ulla  
 Amplius in cælo mors metuenda venit,  
 Hùc, ubi vita piis conceditur illa perennis,  
 Illa perennantis flumina larga boni.  
 Hùc hùc secessit pia nata, nec inde recedet,  
 Nostras ad terras, optio si qua foret.  
 Quas si vel totas deberet sola tenere,  
 Nollet tam lati lingvere tecta poli.  
 Quem dedit illa DEI clementia patris, & ille  
 Ardor in humanum, ardentior igne, genus.  
 Quem meruit CHRISTI sanguis, qui solus ad illa  
 In cælum nobis gaudia pandit iter.  
 Quem sincera fides tribuit sibi firmiter, uni  
 Et soli CHRISTO fidere docta fides.  
 Ecquid MAGNETuum sentis coalescere vulnus?  
 Nè fallor, totum, jam coisse puto.  
 Hæc est illa mali panacea, nec ullibi quicquam  
 Invenies melius, quo medeare malo.  
 Fallor! an interea dum te curare laboro,  
 MAGNE, medela animum vulnerat ipsa meum?  
 Vulnerat ipsa animum, sed amoris vulnerat ictu,  
 Qui facit ut mortem jam propè totus amem.

Ecquis



Ecquis enim cupiat nunc longam ducere vitam,  
Dum furit in terris vindicis ira DEI?  
Tristia dum Lachesis meditatur funera, quando  
Morborem lessas jam genus omne facit.  
Dum præter solitum naturam tempora mutant,  
Et fructum tellus, annua pensa, negat.  
Dum sævit miles, dum bella, heu horrida bella!  
Tot terras multo sanguinis imbre replent.  
Ecquis non potius mecum hæc suspiria ducat?  
Si placet illa sequi M A G N E, præire volo:  
O amor! O cœlum, dulcis mea patria salve!  
Salve delictum, patria! munde vale.  
Munde vale, sunt hæc penultima tempora mundi,  
O jam jam veniant ultima! munde vale.  
En! præfaga, mihi jam dextera tinnit auris,  
Et nova cor feriunt jam simulacra meum.  
Ni fallor, genius me quidam, M A G N E, subintrat,  
Non fallax animi portitor ille tui.  
Nunciat ille mihi, pariter tua tœdia mundi,  
Et desiderium, par utriusq̃, poli.  
Quam bene! te saltem firma ad breve tempus, eritq̃,  
Occupet ut tecum filia juncta polum.

4. to Novembris, Anno 628.  
Regiomonti Borufs:

Georgius Lothus, Philos. & Med. D.  
primarius Medic. apud Regiomonta-  
nos Professor, Sereniss. Ele-  
ctoris Brand. Med.

Quid

**Q**uid fles, sancte Senex, in acerbo funere Natae?  
Non perit, certum est, URSULA sed  
(præit.

URSULA chara Tibi; fuit URSULA chara Marito;  
URSULA chara bonis: sed mage chara DEO.  
Ille dedit vitam: vitam nunc eripit idem:  
Ille tibi Natam credidit, & repetit.

Quin potius gaudes ereptam mille periculis:  
Expositus quibus est grex pie CHRISTE, tuus.  
O casum hunc animo magno perferre memento.  
Sic mihi re MAJOR, nomine MAGNUS eris.

*Daniel Halbach à Porta, D. Med. Elect.  
& Prof. Pub. in Acad. Regiom.  
Pruss.*

URSULA

*per anagrammatismum*

LAURUS

**E**st sacrata Jovi LAURUS, mirare quid ergo,  
Reddita quod celsis URSULA chara polis?  
Victoris signum LAURUS, mirare quid ergo,  
Quod cælos victrix URSULA chara petat?

*αυτοχεδιασι*

*Theocritus Menedemus.*

Omnibus & singulis,  
*Quotquot huic Threnodia Παράλλου μέγος*  
*addere placuit,*

**JOHANNES GEORGIUS MAGNUS,**  
Philosoph. & Medicinæ Doctor.

*Sal. Observantiam, Amorem.*

**R**ublicantur ita & in manus lectorum eunt, supre-  
mo **FILIAE** quondam **MEÆ** honori dicta *μνημόσυνα*,  
quibus Colophonem ipse impositurus, Vos, Nobilissimos, Magnificos, Strenuos, Reverendos, Amplissimos, Consultissimos, Experientissimos, Clarissimos, Prudentissimos, Literatissimos Viros, Fautores, Adfines, Compatres, æternum honorandos, Vosq; Juvenes ortu & arte commendatissimos, amicos dilectissimos, compellare volo, certè debeo. Etenim quòd tam benevolè tamq; largà, quod ajunt, manu vestram in gravissimo hoc casu, ob unicè dilectæ, à vobis ex abundanti amore adeò commendatæ, piæ recordationis, Filiaè obitum, seu, ut rectius appellem, præproperum ex hac lacrymarum valle abitum, *συμπάθειαν* contestari, **DEI**q; unius tanti mali Archiatri, pia organa esse, & onus, cui senescentes humeri impares erant, allevare laborastis, est quod nunquam inter morturas vobis habeam & agam gratias.

Quamquam verò Vestra, cum autoritas, tum animi promptitudo & industria, peculiari unumquemq; dignari Epistolio postulabat: attamen cum non id tempus, nedum vires, ex mœrore haud parum attritæ, ferant, veniam mereri posse ratus sum, si publicâ scriptione à me fieret.

Et sanè quid *θεικτικῆρα* illa Consolatoria profecerint, palàm

*— \**

palàm indicare non erubesco, Vos, vos artifices fuistis, qui  
tam Nobilem, tam efficacem Panaceam, omnes Chymico-  
rum clyffos, Elixiria omnia, infinitis post se relinquen-  
tem parasangis, sapienti Magisterio temperastis, & felicis-  
simo, Deo cooperante, successu adhibuistis. Vestrum præ-  
sentaneum illud Nepenthes fuit, quod acerbissimos non  
solummodò animi dolores leniit, sed arteriosi sanguinis  
cum Spiritibus vitalibus, ex profundissimè sauciato corde  
prorumpentem fluxum sedavit, vulnusq; paternà DEI ma-  
nu inflictum, Divino Nectare ablutum, emplastro ex sacra-  
rum Pandectarum myropolio, mihi *ευσόεργω* aliquatenò con-  
glutinavit. Vestra Sacrosancta spongia, quâ ipse Salvator  
*θεάνθεωπος*, Naimiticæ viduæ, cum suo NOLI FLERE, fletum  
represit, mihi lacrymas vultum *ἀθεγώς* rigantes oculosq;  
obscurantes, absterfit, & visum hebetiorem preciosissimo  
collyrio acuit, ut inculpabilem Justi DEI voluntatem, cum  
meis, ex verbo revelato, magis magisq; cognoscerem.  
Quid enim, si res accuratiùs ponderatur, in animi ægritu-  
dinibus curandis majorem vim habet, quàm ex limpidis-  
simis Israëlis fonticulis ejusmodi aquas vitæ mœrentibus  
propinare, & simul eos informare, DEO affligenti minimè  
reluctādum, vitamq; hanc tam momentaneam, tantisq; ca-  
lamitatibus expositam, omninò aspèrandā, futuram, con-  
tra, cujus gaudia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor  
hominis assequitur, singulis momentis expetendam, ac ob  
moræ brevitatem, onus quod à DEO cervicibus nostris im-  
ponitur, æqviorè, ipsomet levante, ferendum esse animo.  
Quod cum ita sit, Altissimo, in cujus manibus universa  
nostra consistunt, vias nostras commendemus. Is enim vel  
capitis nostri capillos in numero habet, & eos, quan-  
tumvis

tumvis abjectam corporis portionem, exactè custodit. E-  
jus *ἡμῶν* sit nobis *δουλοῦσα*, Ejus voluntas, voluptas; E-  
jus calicem vino aloëtico ad summum usq; plenum, faci-  
bus in fundo impiorum catervæ relictis, avidè hauriamus,  
nihil dubitantes, si in vera fide immobiles perstiterimus,  
quæcunq; Deus agit, non in perniciem, sed summam no-  
bis cesura utilitatem, hancq; *εὐπείραν* spem, confundere  
nescientem, progeneratu ram esse. Jure hinc merito nos  
in Europâ, Crucigerorum hoc seculo feracissimâ *συμπα-  
θόντες* invicem alloquamur.


” Fer facilis quod fata ferunt, si ferre recusas

” Ipsum te crucias, nec minus illa trahent.

” Cæterum, ut medicamenta sæpenumerò non dun-  
taxat ad quos *πρώτως* directa, sed *δευτέρως* aliis quoq; mor-  
bis medentur: ita & hæc Antidotos mihi in meo dolore,  
à vobis præscriptas, in aliis afflictionibus catholicas fore, &  
firmissimorum solationum loco adhiberi posse arbitror;  
quo nomine eas nostrate Typographiâ excusas lucem vi-  
dere, & aliorum alibi exscriptis Epicediis conjungere  
volui.

Vobis verò, qui in conficiendis hisce Alexipharma-  
cis vos Viros præstitistis, quid pro laudatissimo ac mi-  
nimè irritò rependam conatu? Ego, quantum in me, me-  
mori & grato vestra studia semper <sup>me</sup> animo deprædicatu-  
rum, atq; omnibus officiis ea compensaturum esse, sanctè  
recipio, vosq; omnes & singulos Divino Patrocinio com-  
mendo. Valete pancraticè. Berolini ex Museo meo, ulti-  
mo Octobris, Anni salutis humanæ cloc. lxxviii.

SOLI DEO GLORIA.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines within a rectangular border.

Fragment of text from the adjacent page, visible on the right edge of the image.



ULB Halle  
002 677 830

3



56

Nv 1999

(1/69.)

VD 17







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



an 44  
F.

HERAPIA,  
erientissimi,  
**HAN-**  
**MAGNI,**  
eberrimi, obi-  
ngè charissi-  
entis,  
*ex Prussia Decimo*  
*nisa.*

TORIS BRAN-  
s Prussiae &c.  
ntissimis,  
*anis descripta,*  
KVIII.